

4
DE ROMANA
ECCLESIA
TRACTATUS
HIERONYMI MVTII
IVSTINOPOLITANI.



IMPRESSVM PISAVRI MDLXIII.



AD SANCTAM VNIVERSALEM SYNODVM TRIDENTINAM

IN TRACTATVM DE ROMANA ECCLESIA

HIERONYMI MVTII IVSTINOPOLITANI

P R A E F A T I O .



PXPETIUIT Sathanas vt cribraret nos : & quum homines sui similes inuenisset , per illos ecclesiam Dei oppugnare aggressus est . quam vt facilius posset euertere , illius rectorem artibus suis impetere est adortus ; fallacijs scilicet , & mendacijs , quorū ille pater est , & quibus ipse armis contra veritatem innititur . Hinc illæ blasphemix , Romanum Pontificem cæteris Episcopis nō esse superiorem : Non à Deo , sed à Phoca potestatem habuisse : Nō esse illum caput , non Episcopum vniuersalis ecclesix . Quæ vulgò sparsa ita inualuerunt , vt in plenarium etiam concilium irrepsent . Hæc itaque cum ego non sine stomacho circumferri audirem , diutius me continere non potui quin veritatis tela arriperem , meq; (quantulæ sint vires meæ) eorum furori opponerem . Summatim igitur Decreta patrum , & conciliorum antiquorum excerpfi à Clemēte Pontifice primo vsque ad finem Chalcedonensis concilij , vt quatuor sanctissimas generaleis synodos comprehenderem . Quibus temporibus nemo sanæ mentis neget veram catholicam fidem , veramq; fidelium doctrinam claruisse : nosq; secundum eorum dogmata vitam debere instituire , ac populos docere . Hoc autem fidei meæ in hac parte testimonium vobis amplissimis , ac Reuerendissimis patribus (qualecunque sit) reuerenter offerre statui , ac illius diuini spiritus iudicio subijcere , quem ecclesix suæ sanctæ (quæ representatur in vobis) pollicitus est Dominus , vt eo dictante per vestram definitionem , aut recipiatur , aut eijciatur .

DE BEATI PETRI ET SVCCESSORVM

dignitate, & authoritate C. I.

Clemens Papa in Epistola Prima.



SIMON Petrus vere fidei merito, & integræ prædicationis obtentu fundamentum esse Ecclesiæ definitus est.

Si definitus est disputatione opus non est: & si fundamentum est ecclesiæ, nimirum totam sustinet: & totam simul, & diuisam, & collectam.

Petri verba ad Populum de successore in eadem epistola.

ET vos carissimi fratres conferui mei huic, qui præsidet vobis ad veritatem docendam, in omnibus obedite, scientes quod si quis hunc contristauerit, Christum, qui ei docendi dedit cathedram, non recipit.

Attendant qui Pontifici non obediunt, sed ei potius detrahunt, se Christum non accipere.

Petrus item de successore, ibidem.

SI inimicus est alieni pro actibus suis, vos nolite expectare vt ipse vobis dicat, Cum illo nolite amici esse: sed prudenter obseruare debetis, & voluntati eius absq; commonitione obsecundare, & auertere vos ab eo, cui ipsum sentitis aduersum; sed nec loqui iis, quibus ipse non loquitur.

Videant quam recte Petro obediunt ij, qui desertores Romanæ ecclesiæ defendunt, ijsq; in dogmatibus se coniungunt.

Verum quoniam veritatis oppugnatores hanc negant Epistolam esse Clementis, facile mentiri probantur Anacleti, Alexandri primi, & Marcelli primi authoritate, qui ex hac Epistola, sub Clementis nomine, adducunt testimonia; Anacletus bis in prima sua decretali Epistola, & semel in tertia; Alexander in prima; & Marcellus in secunda.

Anacletus in tertia Epistola, quum Petri, & Pauli mentionem fecisset, addit.

AMBO sanctam Romanam ecclesiam conseruauerunt: aliisq; omnibus vrbibus in vniuerso mundo præesse voluerunt.

Vniuerso mundo dicit Anacletus. Sunt tamen nostra etate qui id negent. Sed illis forte maior adhibenda est fides, quippe qui antiquorum decretorum, & apostolicorum statutorum maiorem notitiam habeant quam ille qui à Petro presbiter fuit ordinatus, & Clementi in pontificatu successit.

Alexander in prima Epistola.

NOBIS vobis loqui necessitas imperat dicente propheta, Vt tuba ex alta vocem tuam: Et cui omnium ecclesiarum commissa est cura, si dissimulem, audiam domino dicente, Reiecistis mandatum dei.

Scribit hanc Epistolam Alexander omnibus orthodoxis per diuersas prouincias christo Domino famulantibus; Agnoscitq; authoritatem suam omnes ecclesias gubernandi: Ideoq; illis decreta præscribit, dicens sibi omnium ecclesiarum curam esse commissam.

Verba hæc Alexandri sunt etiam in Prima Siritij ad vniuersos orthodoxos.

Sixtus primus in Secunda Epistola.

SI quis autem vestrum pulsatus fuerit in aliqua aduersitate, licenter hanc